



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

Engelhard, Johann Martin

Moguntiae, 1700

Liber Quartus Decretalium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63255)

LIBRI QUARTI

Decretalium

Synopsis & dispositio libri.

A Causis beneficialibus libro prioro explicatis, ad causas marimoniales transimus, quarum passim obvia & sæpius intricatissimæ difficultates, non parum iudices Ecclesiasticos fatigant. Dixi *Ecclesiasticos*; cum enim matrimonium novæ legis inter Christianos, teste Apostolo ad *Ephes. cap. 5.* sit sacramentum, ejusdem judicialis defensio ad iudicem Ecclesiasticum spectat. *cap. cum determinamus de iudic. & cap. fin. de secund. nupt. Trid. sess. 24 can. ult.* quod Anathemate ferit contrariæ opinionis auctores. Aliud de matrimonio infidelium dicendum est, quod cum limites contractus civilis non excedat à iudice seculari cognosci poterit. pro majori claritate sequentem subijcio titulorum connexionem.

In materiâ matrimoniali sex potissimum veniunt considerata.

1. Matrimonii natura secundum se, veluti definitio, divisio, proprietates &c. quas explicat *Tit. 1.*
2. Ejus valor, qui spectato jure naturali nil aliud requirit, quàm consensum contrahentium, à

vi metu, & errore personæ liberum tanquam
mam, & corpora per ætatem habilia ad genera-
nem tanquam materiam ut traditur in *tit. 2.* ju-
autem positivo humano insuper ex parte forma
quiritur, ut non clandestinè, sed publicè in
ecclesiæ contrahatur, quod præscribit. *tit. 3.* quâ
Divino requiritur ut unus cum unâ contrahat, &
cissim, proscriptâ Polygamiâ. *tit. 4.* sitque im-
conditio, si contractus matrimonialis fuerit
ditionalis. *tit. 5.*

Matrimonio in specie considerato prædi-
non sufficiunt, sed præter consensum in omni Ma-
monio necessarium in quibusdam personis requi-
tur, ut absit impedimentum dirimens, quod
tur, vel ex voto solemnî, & ordine sacro ut
tit. 6. vel ex crimine triplici, adulterio nimirum,
chinatione mortis conjugis, vel fidei datæ de
trimonio post mortem ejus contrahendo con-
cto, & occisione, spe futuri matrimonii sine ad-
terio. de quo agit *tit. 7.* vel ex errore in qualitate
personæ, non qualicumque nec corporali, v. g.
præ. *tit. 8.* sed conditionis servilis. *tit. 9.* quod
men scientibus non obstat, sed ex Iure partus
matrimonio non erit liber sed servus. *tit. 10.* V-
oritur impedimentum ex nimia personarum con-
junctione, videlicet cognatione spiritali orta
baptismo vel confirmatione. *tit. 11.* vel legali. *tit. 12.*
vel affinitate ex copulâ etiam illicitâ. *tit. 13.*
consanguinitate cujus gradus computantur. *tit. 14.*
vel denique vitio corporis, ad consummationem
trimonii inepti, *tit. 15.*

3. Spectanda est matrimonii licentia, ne scilicet
cet sub sit impedimentum impediens. *tit. 16.*

4. Co

- quàm
generat
t. 2. ju
forma
ce in fa
tit. 4.
nat, &
ue imp
fuerit
prædi
nni Ma
his req
quod co
ro ut ha
virum, n
atæ de
do con
fine ad
quali
, v. g.
7. qua
artus et
tit. 10.
arum co
ali ort
gali. tit
tit. 13.
ur. tit.
onem
ne sc
6.
4. Co
4. Considerandi sunt matrimonii effectus, quo-
um præcipuus est legitima prolium nativitas *tit. 17.*
5. Consideratur dissolutio, quæ fit, vel morte, vel
intervivos, si matrimonium accusetur & convinca-
tur nullitatis. *tit. 18.* vel per divortium. *tit. 19.*
quâ dissolutione factâ restitui debet dos & dona-
tio propter nuptias. *tit. 20.*
6. Spectatur reiteratio quam *tit. 21.* permittit,
quoties quoties matrimonium præcedens legitime
fuerit dissolutum.

TITVLVS I.

De

Sponsalibus & Matrimoniis.

§. I.

De

Sponsalibus.

QUÆRES 1. Quid sint Sponsalia? Resp.
Sponsalia à spondendo dicta, sunt *mutua fu-
turarum nuptiarum promissio l. 1. ff. h. t.* alia sunt
de futuro propriè dicta & modò definita; alia
impropriè dicta & de præsentī de quibus §. sequenti
agemus.

QUÆRES 2. Quænam ad valorem Spon-
saliorum requirantur? Respond. Ad valorem spon-
saliorum de futuro plura requiruntur: Primò ut
fiant inter personas iure habiles. Habiles au-
tem censentur, si maiores septennio fuerint, non
etiam minores, nisi malitia suppleverit ætatem *cap.*

D d

lite.

litteras, cap. accessit § c. penult. de desponsat. impub. Sicut dicitur, ut ad sit plena libertas & advertentia rationis; unde nulla sunt sponsalia vi extorta in ebrietate, somno, furore vel amentia contracta *con. de sponsal. que furiosus c. 32. § cap. dilectus h. t.* Tertio ut fiat inter personas certas & determinatas, unde non valet promissio uni ex pluribus sororibus indeterminatè facta; Quarto ut sit promissio mutua *l. i. ff. de sponsal.* unde Petro promittente, Catharinâ non promittente, non sunt sponsalia, nec oritur obligatio; Quinto, ut sit promissio expressa, vel verbis vel signis consensum sufficienter declarantibus facta, quale signum non est sola annuli traditio, nisi alia signa accedant, vel consuetudo aliud obtineat, quod teste *San. h. disput. 25. num. 2. § 5.* hac in re maxime est attendenda.

QUÆRES 3. An sponsalia possint contrahi sub conditione? Respond. Affirmativè. licet pœna apponi nequeat, utpote libertati matrimonii adversativa *cap. 29. h. t.* poterunt tamen adici arrhæ à resiliante perdendæ *l. arrhis Cod. de sponsal.*

OBIICIES. Arrha non obstat libertati matrimonii; ergo nec pœna. Respond. conceditur anteced. Neg. consequ. quia arrhæ dantur principaliter in signum dati consensûs, & confirmationem sponsalitij contractus, pœna autem non adjicitur in signum dati consensûs, sed in vindictam non impletæ promissionis. *Gonzal. in c. 29. h. t. num. 7.*

QUÆRES 4. Quis sit Sponsaliorum effectus? Respond. Sponsalia ritè contracta dupliciter habent effectum. Primus est obligatio contrahendi

di matrimonium, quæ gravis est, & sub reatu peccati mortalis contrahentes adstringens. Hæc autem obligatio tunc implenda erit, si terminus contrahendo matrimonio præfixus advenerit; termino autem non præfixo tunc demùm si à comparte exigatur; quod si pars implere recuset, à iudice ecclesiastico per censuras aliasque pœnas compellenda erit; secundus sponsaliorum effectus est impedimentum publicæ honestatis; quæ est quasi affinitas, quæ ex conjunctione animorum oritur, & dirimit matrimonium cum consanguineis alterius sponsi in primo gradu contractum *Trid. sess. 24. c. 3. de reform. matr.* hoc tamen impedimentum non oritur ex sponsalibus quacunque ratione nullis. *Trid. l. cit.*

QUÆRES 5. Quibus modis solvuntur sponsalia? Resp. Solvuntur sponsalia: Primò, mutuò contrahentium consensu; nam obligationes, quæ consensu contrahuntur contraria voluntate dissolvuntur. *§. fin. instit. quibus mod. oblig. tollantur.* idque valet etiam si jurata fuerint. non obstat *cap. 2. b. t.* ubi sponsi dicuntur admonendi, ut datam fidem observent; quia Papa dicit esse monendos, non quòd prohibeantur à sponsalibus etiam juratis mutuo consensu recedere, sed ad evitandam offensionem vulgi quod recessum à sponsalibus juramento firmatis apprehendit tanquam violationem juramenti. Secundò, solvuntur sponsalia impuberis, per ejus dissensum adveniente pubertate. Tertiò, per ingressum Religionis, tecutà professione; qua non tecutà sponsalia ex parte manentis in sæculo solvuntur non item ex parte ingredientis; Quartò, per susceptionem ordinis sacri *(ap. 1. & 2. qui Clerici)*

vel voventes. Trid. sess. 14. can. 9. Quintò, per
tum Religionis, & secundum aliquos etiam casti-
tis. de quo in tit. 6. agemus. Sextò, per fornicationem
sponsalia subsequenter solvuntur ex parte innoce-
tis. Septimò, superveniente mutatione notabi-
litate statum matrimonii reddat ita difficilem, ut
ab initio extitisset, quis prudentum iudicio à spon-
sibus abstinuisset, v. gr. si sponzorum unus in-
pram Paralytisin, &c. incidat, oculum, uatum,
aures amittat. Octavò, per lapsum termini
endæ obligationi adjecti.

§. II.

De

Matrimoniiis.

QUÆRES I. Quid sit matrimonium? Res-
ponsum. Matrimonium est *viri & mulieris legitima*
coniunctio, individuum vitæ societatem continens
de ritu nuptia. Sive est conjunctio maritalis, id est
vinculum, quo mas & foemina nullo jure impedi-
tæ ad mutuam traditionem corporum in ordine ad
actum ex se ad generationem prolis aptos, & stabilem
vitæ societatem obligantur. Dicitur *Conjunctio*, id est
est animorum, quæ ex mutuo interiori consensu
& exteriori contractu, tanquam ex causâ efficien-
tiente oritur; non autem corporum, quia mat-
rimonium consensus facit, non concubitus *l. nuptia*
ff. de Reg. Jur. & sicut in omni alio contractu, v. g.
emptionis, locationis &c. usus rei non pertinet
ad substantiam contractus, sic nec copula ad ve-
rum matrimonium requiritur, cum sit usus rei in
alterius potestatem translata; ex quo patet B. Vi-

ginem non obstante castitatis voto verum cum Beat. Josepho matrimonium contraxisse; quia licet in actum ipsum conjugalem consentire non potuerit, consensit tamen in conjunctionem animorum & obligationem tradendi corpus suum, atque debitum conjugale reddendi, quod revelante Deo certò noverat, nunquam exigendum.

QUÆRES 2. Quotuplex sit matrimonium?

Respond. Matrimonium hoc triplex est, *legitimum, ratum & consummatum*. *Legitimum* est contractus legibus conformis, non tamen sacramentalis; talia sunt matrimonia infidelium. *Ratum* est contractus fidelium, ab ecclesiâ approbatus rationem sacramenti habens, nondum tamen copulâ carnali completus. *Consummatum* dicitur, quod accedente fidelium copulâ completum est.

QUÆRES 3. Quænam inter dicta matrimonia sit differentia? Respond. Differentia est ista, quod matrimonium legitimum tantum insolubile sit, quoad affectum contrahentium ab initio spectatum, reipsâ autem sit solubile. matrimonium *ratum* dissolvi nequeat, nisi uno casu, si videl. alter conjugum religionem ingrediatur *cap. 7. de Convers. Conjugat. & Trid. sess. 24. can. 6. de matrim.* Matrimonium autem consummatum nullo unquam tempore, & quacunque ratione dissolvi possit, *Trid. loc. cit. can. 5. & 7.* hanc verò indissolubilitatis rationem diversimodè participant *ratum & consummatum*; illud enim cum repræsentet conjunctionem Christi cum animâ fideli quæ uno casu, adveniente nimirum peccato mortali tollitur, etiam uno tantum casu solvitur; hoc verò cum repræsentet

Id ;

æter-

æternam conjunctionem Christi cum Ecclesiâ, nîdò est indissolubile.

QUÆ RES 4. Quænam ad matrimonium validè contrahendum requirantur? Respondetur matrimonium validè contrahendum præter alia plurima in decursu explicanda requiritur utriusque contrahentis consensus verbis vel signis exterioribus claratus. *cap. 14. b. t. & l. 30. ff. de R. iur.* qui contrahebat tanquam actus humanus debet esse liber, de præterito & ab utroque contrahente simul eodem tempore suscepti sacramenti expressus. Hinc non valet nîdò, matrimonium in quo intervenit error circa personam cum errantis nullus sit consensus *l. 9. de iur. & fact. ignor.* ideoque talis error dirimit matrimonium iure naturali, quod ut clarè intelligatur

QUÆ RES 5. Quotuplex sit error? Respondetur Duplicem esse errorem, primus dicitur error circa substantiam vel ipsum individuum personæ contrahentis, qui matrimonium semper dirimit. *quidam. c. 29. q. 1.* ideoque matrimonium inter Leam & Jacobum quam Rachelem existimavit. *Genes. 30.* nunquam valuisset, nisi Jacob in illam postea confisisset. Secundus error est qualitatis, si quis v. g. contrahat cum Anna, quam virginem divitem vel nobilem credit, cum tamen re ipsa non ita sit; quod non obstat valori matrimonii, cum non tollat consensum ad matrimonium substantialiter requisitum, qui consistit in traditione corporis huic personæ selectâ & manet, nisi illi forsan conditio existimata non inest; per accidens tamen error qualitatis matrimonium irritare potest, si contrahatur cum expressâ talis qualitatis reservatione, vel error qualitatis involvat erro-

tem personæ, quod tunc fit, quando qualitas non est pluribus communis, sed singularis & certum individuum denotans, ut si quis v. g. dicat, se esse unigenitum filium aut filiam certi cujusdam Principis &c. quod si enim hæc qualitas desit, deesse censetur consensus in personam ut late explicat *Sanct.* Ex quibus

Inferes primò. Irritum esse matrimonium si id est sine consensu contractum uti *cap. 26. h. t.* decisum est

Inferes secundò. Nullum esse matrimonium metu gravi & ad extorquendum consensum injustè incusso contractum; requiritur enim Iure naturæ consensus qui non censetur adesse, si metus vel coactio intervenierit.

Inferes tertio. Tale matrimonium nullum esse etiam si juramento firmarum fuerit deficit enim consensus spontaneus ad valorem matrimonii necessario requisitus.

TITVLVS II.

De

Desponsatione Impuberum.

QUÆRES I. Quænam ætas ad matrimonium vel sponsalia validè contrahenda requiratur? Respond. Cum ad sponsalia non nisi usus rationis, ad matrimonium autem insuper pubertas velabilitas ad Copulam conjugalem requiratur, hinc canones diversam ad utrumque ætatem requirunt, ad sponsalia quidem septennium *cap. fin. h. t.* ad matrimonium autem in masculo 14.

D d 4

in

infceminâ 12. annos. Ratio est, quia usus vel adie vo
secretio rationis in utrisque eodem tempore scilicet sess. 2
pleto septennio perfectus adesse solet, non item quod
tentia generandi quæ in viris tardius quàm fecunditas
nis reperitur.

QUÆRES 2. An valeant sponsalia ante septennium contracta si malitia suppleat ætatem? Ex l
quâ questione non conveniunt Doctores, quoniam tur,
quidam affirmativam, alii negativam tuerentur, et
interim cenſeo sponsalia ante septennium valere, cessat
adfuert usus rationis; Ratio est paritas cum ma- urpo
monio, ad quod sponsalia sunt via, & dispositio adn
ideò enim in matrimonio malitia supplet defectum sent
ætatis, quia potentia coeundi aliquando antevenerit gest
annos pubertatis; Ergò si usus rationis quandoque coa
adsit ante septennium supplebit etiam in sponsalibus

QUÆRES 3. An dicta ætas debeat esse completa omnino? Respond. Affirmat & quidem
probabiliter debet esse completa physicè, non mo-
raliter tantùm, ut tradit Sanchez. ætas enim lue-
præscripta currit de momento in momentum aug-
3. S. minorem ff. de minoribus.

TITULUS III.

De

Clandestinâ Desponsatione.

QUÆRES 1. Quid sit matrimonium clande-
stinum? Respond. Matrimonia clandestina dicuntur, quæ sine testibus contrahuntur,
quæ quidem ob varia pericula, & exortas inde li-
res semper fuerunt prohibita, non tamen nulla; he-

die verò per specialem constitutionem Concilii Trid.
sess. 24. c. 1. de reform. matr. nullum est matrimonium
quod non in præsentia Parochi proprii & duorum
ad minus testium contractum est.

QUÆRES 2. Quænam ex decreto Conci-
lii Trid. ad valorem matrimonii requirantur? Resp.
Ex hoc decreto Concilii præter alia, duo requirun-
tur, primum est præsentia Parochi, secundum præsen-
tia saltem duorum testium; parochi præsentia ne-
cessaria est, non ut ministri, cum ipsi contrahentes
utpote ponentes formam, sibi invicem sacramentum
administrent, sed ut testis, ac proinde sola illa præ-
sentia sufficit, quæ requiritur in teste, ut de his quæ
gesta sunt, testimonium dicere possit adeoque etiam
coacta & nolentis.

QUÆRES 3. An requiratur præsentia Pa-
rochi proprii? Resp. Affirm. & quidem alterutrius
sponsorum; quod si Parochus proprius in persona
non assistat, sed alium substituere velit, necessario
is debet esse Sacerdos, uti ex textu Concilii patet,
ad quam substitutionem licentia parochi vel ordinari-
i expressa requiritur, nec sufficit præsumpta, aut
ratihabitio subsequens; Cum enim sit actus jurisdi-
ctionis, hæc in substitutum necessario transferri de-
bet, quod non fit præsumptionibus, nec etiam per
ratihabitionem subsequentem, cum valor Matrimo-
nii non possit esse in suspensio. vagi quia proprium
parochum non habent, à parochi loci in quo moran-
tur copulari possunt; quod tamen ob multa peri-
cula, & inconvenientias plurimas non facile con-
cedendum.

QUÆRES 4. Quinam testes in matrimonio
esse possint? Respond. Testes idonei in matrimo-

nio sunt omnes, etiam consanguinei, domestici, famæ, mulieres, &c. quia de qualitatibus testium nihil speciale statuit Concilium; necesse tamen est ante benedictionem præmittatur, trina denuntiatio inter missarum solemnias facienda; in qua Episcopus dispensare potest.

QUÆRES 5. Cum in sacramentis à Christo institutis teste *Tridentin. sess. 21. c. 1. de Conventione*, nil possit mutari, quomodo Concilium poterit introducere nullitatem matrimonii clandestini? Respond. Concilium nihil mutavit in sacramentis, sed tantum irritavit contractum, qui legibus secularibus non valente, non ponitur sacramentum.

QUÆRES 6. An matrimonium clandestinum contractum valeat saltem in vim sponsaliorum? Resp. Negativè, quia Concilium Tridentinum illegitimum actum declarat omnino nullum & irritum, in quo autem dici non posset, si obligationem produceret.

QUÆRES 7. An etiam nulla sint sponsalia clandestina? Respond. Valent cum cessent rationes ob quas publica celebratio matrimonii introducta est.

TITVLVS IV.

De

Sponsa Duorum.

QUÆRES 1. Quid præsentis tituli prohibetur? Resp. Prohiberi polygamiam propriè & impropriè dictam. Nam Catholicæ & à *Trid. sess. 29. can. 2.* definita veritas est, Christianis illicitam esse Polygamiam, cum enim non

ceat unâ uxore dimissâ aliam ducere *Matth. 19* multo minus priore retentâ secundam ducere licebit. quod hic nomine polygamie improprie acceptæ venit; polygamia autem proprie dicta, est pluralitas maritorum, quæ omni Jure semper & ubique prohibita fuit, utpote quæ propter commixtionem seminis, prolis patrisque incertitudinem, & plurimas confusiones in Rempublicam promanantes ipsi videbatur naturæ contraria.

OBJICIES. Polygamia improprie dicta olim permixta fuit, ergo non erit illicita. Respond, Pluralitas uxorum olim quidem permixta erat, ut ab exemplo Abrahamæ, & aliorum Patrum Vet. Test. patet, eam tamen in novâ lege Christus sustulit, & matrimonium ad primævam suam naturam reduxit quæ exigebat, ut singuli singulis conjungerentur.

QUÆRES 2. Quæ sit pœna eorum qui cum duabus contrahunt? Respond, Si quis cum duabus contrahat præter nullitatem actus excommunicationem incurrit. Si cum duabus de præsentis, priorem habere debet, *c. 1. Sult. h. t.* Si cum duabus de futuro, similiter prior ius habet, posterior nullum, ex regula generali *qui prior tempore potior jure*; Si cum unâ de præsentis cum alterâ de futuro, illam retinebit, cum quâ de præsentis contraxit *dict. c. 1.* dicta primo & secundo casu procedunt, etiam si posterior carnaliter cognita esset *c. 5. b. t.* quia per talem copulam jus alteri quæsitum auferri non potest, quanquam Theologi, quidam censeant sponsam priorem de futuro, intactam, ex charitate Iuri suo cedere debere, si secunda carnaliter cognita sit, quod pro foro conscientie admitti potest.

TITU.

TITULUS V.

De

Conditionibus apposis in Despon-
sationibus vel aliis Con-
tractibus.

QUÆRES 1. Quot modis contrahatur ob-
ligatio? Respond. Omnis obligatio 4. Mo-
dis contrahitur, videl. *purè*, *in diem*, *sub*
conditione & *sub modo*. *Purè* contracta obligatio est
quando id quod debetur, statim efficaciter peti po-
test; *in diem* contrahitur obligatio, dum contra-
hens statim quidem obligatur, id tamen quod peti-
tur ante certum diem exequendæ obligationis cau-
sâ adjectum efficaciter peti nequit, sed exspectandus
est terminus, ut cum dico Kalendis Maji dabo Titio
1000. Imperiales. *Sub conditione*, quando ipsa ob-
ligatio in futurum & incertum eventum suspendi-
tur, v. gr. solvam Titio 1000. Si consul fiat. obli-
gatio *sub modo* in hoc consistit quod unus quidem
statim obligetur, ipsa autem obligatio trahat post
se aliam, qua alter contrahentium vicissim ad ali-
quid aliud præstandum obligatur, adeoque unus
obligetur per se, alter per consequentiam; ut si di-
cam dono tibi 100. ut vestias pauperem, atque hæc
communia sunt obligationibus omnium contra-
ctuum.

QUÆRES 2. An hæc omnia locum etiam
habeant in sponsalibus & matrimoniis, pro solu-
tione.

Suppono primò, tanquam rem certam & evidentem,
matr-

matrimonium & sponsalia purè contrahi posse, uti plerumque contrahi solent.

Suppono secundo. Sponsalia posse contrahi in diem, ita ut statim quidem oriatur obligatio, differatur autem executio.

Suppono tertio. Sponsalia contrahi posse sub modo non enim est ulla ratio quo minus matrimonium in his omnibus alios contractus imitetur. potissima igitur quæstio est an sub conditione rectè contrahatur? pro quo

Nota: Conditio est lex adjecta actui differens illius obligationem in futurum estque triplex, *de præterito, de præsentī & de futuro*; duæ priores non reddunt actum verè Conditionatum, hæc autem posterior propriè conditio vocatur; quæ vel est possibilis vel impossibilis; idque vel de facto, ut si cælum digito terigeris, vel de iure qualis est conditio turpis aut conditio necessaria, ut si cras sol. oriatur; quibus sic præviè notatis ad quæstionem propositam? Respond. Licite contrahi sub conditione possibili & honestâ, quo casu eventus expectandus erit, eoque eveniente erunt sponsalia, secus si non eveniat. Si adjiciatur conditio repugnans substantiæ, fini, vel bonis matrimonii, contractus nullus est. *c. fin. b. t.* hæc enim conditiones hoc ipso quòd matrimonio adversentur, contractum destruunt & obligationem impediunt; si contrahatur sub conditione turpi substantiæ, fini, aut bonis matrimonii non repugnante, ut si falsum testimonium dixeris, aut sub impossibili de facto, ipsa conditio habetur pro non adjecta, & matrimonium censetur purè contractum, *cap. ult. b. t.* & hoc præ reliquis Contracti-

bus

bus speciale habet matrimonium, qui omnes ad
 tali conditione vitiuntur §. II. *Instit. de inut. stipul.*
 sic specialiter statutū est ob favorem matrimonii
 inquit Pontifex *cap. ult.* Ratio hæc ex triplici
 non exigua patitur difficultatem. Primo enim
 tum est, matrimonium non posse poni nisi con
 hentes consentiant; sed qui adjicit conditionem
 Impossibilem consentire non censetur. Secundo
 qui in reliquis contractibus addit conditionem
 possibilem non censetur se obligare, sed nugari vel
 ergo idem in contractu matrimoniali dicendum
 Tertio, si tantus sit favor matrimonii utpote co
 nium contractuum difficillimi, ergo in omni
 standum erit pro ejus libertate; hæc autem libe
 tas in eo vel maximè consistit, ut non imponatur
 obligatio alicui dubiè aut jocosè loquenti. quomodo
 ergo dicit Pontifex conditionem impossi
 lem haberi pro non adjectâ in matrimonii favo
 rem? Respond. Favor quem pro causâ motiva
 legat Pontifex non consideratur in hoc, quod
 velint obligare hominem contra mentem adeoque
 jocosè loquentem, hoc enim uti naturæ repugnat
 sic nullo iure tolerari potest; sed in eo quod cum
 in re tam arduâ nemo censeatur ludere & nugari
 præsumitur in promissione matrimonii se voluisse
 obligare; in adjectione verò conditionis impossi
 bilis nihil agere. Ratio rationis est ista: Contrahe
 tes censentur scire ea iura quæ pertinent ad natu
 ram & valorem matrimonii, cum igitur *dict. cap. ult.*
 statutum sit conditionem impossibilem pro non ad
 jectâ haberi, hinc eo ipso quod conditionem tale
 adjecerint, censentur purè contraxisse.

QUÆRES 3. Si contrahentes dispositionem

dict cap. fin. Verè ignorent, vel conditionem impossibilem, possibilem putarent, an nihilominus conditio haberi possit pro non adjectâ, ita ut matrimonium valeat? Respond. Matrimonium tali casu contractum esse nullum: ratio est, quia præsumptio cedit veritati, in veritate autem inter tales non adest consensus.

OBJICIES. Ignorantia Iuris neminem excusat *l. i. ff. de jur. & fact. ign.* Sed hæc est ignorantia juris nim. Pontificii; Ergò Respond. Regula allegata procedit in foro externo, non interno, & fallit maximè in matrimonio propter consensum essentialiter requisitum, qui si non adsit, per præsumptionem suppleri nequit.

TITULUS VI.

Qui Clerici vel voventes matrimonium contrahere possint?

QUÆRES 1. Quibusnam liceat matrimonium contrahere? Respond. Omnibus qui non laborant speciali impedimento. impedimenta autem matrimonii sunt duplicis generis: quædam sunt dirimentia, ea nimir. quæ contractum non tantum illicitum, sed & invalidum reddunt; alia impediencia tantum, quæ matrimonium prohibent, contractum tamen non invalidant.

QUÆRES 2. Quænam & quot sint impedimenta dirimentia? Respond. Dirimentia communiter statuuntur 4. his versiculis comprehensa,
Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo ligamen, honestas,

*Si sis affinis, si clandestinus, & impos,
Raptave sit mulier, nec parti reddita tuta,
Hec socianda vetant, connubia facta retractant.*

Impedimenta igitur dirimentia sunt sequentia: *Error persona, conditio servilis, votum solemne, cognatio spiri-
tualis, legalis, naturalis. Cultus disparitas* inter baptizatum & non baptizatum, *vis vel metus* cadens in constantem virum; *ligamen* matrimoniale cum alio. *bonestas publica; affinitas, sive legitima, sive illegitima; clandestina desponsatio, non in facie Ecclesie facta; impotentia perpetua ad copulam. & denique raptus ante restitutionem raptæ in loco tuto.*

QUÆRES 3. An susceptio majorum ordinum & emissio voti sollemnis oblit matrimonio contrahendo? Respond. Affirmat. Omnes ergo qui in majoribus constituti sunt, aut professionem in Religione aliqua emiserunt nec licite nec valide contrahunt *cap. 1. § 2. b. 2.* quod ipsum novissime statuit *Trident. sess. 24. cap. 9.* quod si de facto contrahunt eo ipso privilegia & beneficia ecclesiastica amittunt *cap. 4. § 9. de Cleric. Conjug.* atque insuper irregulares fiunt, & excommunicatione incurrunt. Ex quo patet matrimonium infelicis Lutheri cum Catharinâ de Borne leductâ moniali, uti & omnium Monachorum Monialium & Sacerdotum, ipso jure nulla adeoque non matrimonia sed perpetua adulteria vocari, licet in foro externo inter hæreticos tolerentur, quorum omnium est horribilis damnatio, eò quod recusato sponso suo Christo, diaboli carnisque mancipia efficiantur.

QUÆRES 4. An similiter obstat matrimonio contrahendo ordines minores, & vota

castitatis simplex? Respond. Negat. Sed qui in ordinibus minoribus constituti aut voto castitatis simplici obstricti sunt, illicitè quidem, validè tamen matrimonium contrahunt *cap. 34. & 36. b. t.* illud autem singulariter hic notandum est, quòd sicut impedimenta contracto jam matrimonio supervenientia, illud non dirimunt, sic nec ordo sacer matrimonio contracto obstat, nisi in tantum quòd is conjugale debitum exigere amplius non possit, teneatur autem reddere.

TITVLVS VII.

De

Eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium.

QUÆRES 1. Quale impedimentum hoc tit. explicandum occurrat? Respond. Impedimentum criminis. Crimen autem præsentis titulo duplex statuitur, homicidii nimirum & adulterii, quorum criminum rei ad matrimonium non quidem absolute & simpliciter, sed cum personâ, quam cum tale crimen commiserunt, contrahendum tribus casibus inhabiles redduntur; idque ne spes matrimonii cum aliâ contrahendi occasionem præbeat conjugis innocentis mortem captandi.

QUÆRES 2. Quinam sint casus quibus crimen præstat impedimentum dirimens matrimonii? Respond. Primus Casus est adulterium commissum interveniente promissione matrimonii post mortem conjugis contrahendi, *cap. 1. fin. & alia b. t.* Secundus est adulterium cum machinatione mortis

E e

alte-

alterius conjugis & spe matrimonii postea contrahendi conjunctum, sive actualis promissio matrimonii intervenierit, sive non, *cap. 3. h. t.* idque tam inter fideles quam infideles *cap. 1. h. t.* Tertius ipsa procuratio mortis conjugis, ad quam concurret uterque sub spe matrimonii, etsi adulterium non intervenierit: ex quibus.

QUÆRES 3. An ergo extra hos casus homicidæ vel adulteri à matrimonio contrahendo impediuntur? Resp. Eos extra hos casus non esse inhabiles ad matrimonium post mortem suorum conjugum contrahendum, unde *Canon nullus & Canon illud caus. 31. q. 1.* quibus matrimonium inter adulteros generaliter prohibetur, ad dictos 3. Casus restringendi sunt.

OBJICIES. *Cap. 1. h. t.* ait Pontifex adulteros matrimonio non esse jungendos, maxime si machinatio mortis vel promissio matrimonii interveniat, ex quo non obscure colligitur; illud omnibus adulteris esse prohibitum; Respond. Limitatissime sensum exclusivum habet, ut in *cit. cap. notat Abbas. n. 2. & Barbosa. n. 5.* ex quo colliges solum adulterium nullum præstare impedimentum, ut ex modo dictis constat. *cap. 1. & 6. h. t.*

QUÆRES 4. Quale debeat esse adulterium, ut matrimonio præstet impedimentum? Resp. Adulterium debet esse perfectum per consummationem corporum commixtionem & utrinque, id est inter duos conjugatos; si enim ex unâ parte deficiat violatio Thori conjugalis, non dicitur propriè adulterium, sed cum addito adulterium simplex.

QUÆRES 5. Si quis invincibiliter ignoraret impedimentum in patrato à se crimine ortum

an validè contrahat? Resp. Tali casu matrimonium invalide contrahi; Ratio est quia impedimentum criminis est inhabilitas quædam & conditio annullans contractum matrimoniale, eò quod specialiter inconueniens sit, tales complices matrimonio copulari, sicut eum annullat affinitas ex copulâ fornicariâ etiam occultâ.

Dices pœna non incurritur ab ignorante, ut patet in excommunicatione; atqui hæc irritatio matrimonii ex capite criminis est pœna. Respond. Non tam est pœna quam inhabilitas, quæ etiam ab ignorante incurritur, uti in irregularitate patet; vel dico, esse pœnam vindicativam, excommunicationem autem esse pœnam medicinalem, ad hanc ultimam scientia requiritur non ad primam.

TITVLVS VIII.

De

Conjugio leproforum.

QUÆRES 1. An ex capite supervientis lepræ matrimonia aut sponsalia dissolvantur?

Respond. Sponsalia per supervientem lepram dissolvi posse & alteri sponzorū à sponsalibus resilire, liberum esse, *cap. fin. b.t.* decisum est, matrimonium autem etsi ratum tantum fuerit, per lepram aut aliam infirmitatem supervientem quoad vinculum non dissolvi, ex *cap. pervenit. b.t.* & ex *can. si quis cap. 32. quest. 7.* manifestè patet.

OBJICIES. In *cap. fin. b.t.* dicitur dissolvi posse sponsalia, quæ nondum sunt consummata; Respond. *in cit. cap. ult.* sermo est de sponsalibus de

Ee 2

futu-

futuro & per li consummatum non intelligitur consummatio quæ sit per copulam carnalem, sed sit per consensum expressum per verba de præterito.

QUÆRES 2. An propter lepram vel aliam gravem & contagiosum morbum conjux sanus a prolo sit separandus quoad thorum & habitum, ut non teneatur reddere debitum siue an sit sufficiens causa divortii. Rationem dubitandi movet Alexander III. in *cap. pervenit.* & *cap. quoniam.* rationem assignat, quod juxta doctrinam Christi *Matth. 5.* Uxorem etiam quoad thorum dimittere nemini liceat, nisi ex causâ fornicationis, scilicet adulterii; quâ non obstante. Resp. Juxta *Conc. Trid. sess. 24. c. 8.* lepram esse causam sufficientem divortii rationem Pontificis in *allegatis cap.* salvare poteris dixeris, unam esse causam divortii; quæ ex ipsa conjugii naturâ oriatur, scilicet fornicationem, sed conjugali & substantiæ matrimonii immediate contrariam, plures autem esse causas quæ non ex natura conjugii, sed aliunde oriuntur, causam tamen conjugii divortiandi præbent.

QUÆRES 3. An ergo leprosi matrimonium contrahere possint? Respondet Papa affirmativè, si reperiant, qui eis nubere velint.

TITULUS IX.

De

Conjugio Servorum.

QUÆRES 1. Quale impedimentum hoc titulo explicetur? Respond. Agi hoc titulo de Conditione servili, id est, si unus contrahentium non liber sed in servitute fuerit; quod maximè usui matrimonii repugnat. non est autem

hic sermo, de servis adscriptitiis & originariis, sic dictis quia glebæ vel fundo excolendo perpetuò adscribuntur, tales enim homines reipsa liberi sunt per *Text. cap. 2. de Judæis*; adeoq. matrimonium libere & valide cum quacunque personâ aliunde non impeditâ contrahere possunt; sed loquimur de mancipiis & servis propriè dictis, quales apud Christianos sunt Turcæ aliique infideles bello capti. de hac servitute propriè dicta.

QUÆRES 2. An & quando matrimonium dirimat. Resp. Eo casu matrimonium dirimit quo contrahentium unus liber est, & alterum servum esse ignorat prout statuitur, *cap. proposuit*, & *cap. fin. b. t.*; & *can. si quis ingenuus c. 29. q. 2.* Ratio autem cur ob conditionis servilis potius quam alterius qualitatis errorem irritetur matrimonium est quia servitus, etsi non tollat omninò consensum, valde tamen præjudicat bonis matrimonii, imprimis quidē bonis sacramenti, & individuae societati conjugum, cum servus ad partes remotas à Domino in perpetuum mitti, imò & vendi possit; dein bono fidei conjugalis, quia debitum non liberè sed quatenus servitia Domino præstanda permittunt, reddere potest, & denique bono prolis, quam servi educare non possunt, hoc ipso quod non sibi, sed dominis cuncta acquirant; Dixi tamen, *si servum esse ignoraverit*; si enim conditionem servilem sciret & tamen contraheret matrimonium haud dubiè valeret, quia sola ratio matrimonium irritandi, est error, qui tali casu non adest; quæ diximus de talium matrimoniorum valore, intelligenda sunt de lure Canonico quod nullam fecit differentiam inter liberos & servos, cum teste Apostolo in Christo Jesu nec servus

Ecce

sit

fit nec liber, ac proinde nullus ab ecclesiæ sacramen-
tis sit removendus; de Iure autem Civili, inter
servos non censetur Conjugium seu matrimonium
sed contubernium tantum, eo quod Conjugium
Civili inter solos cives Romanos contrahatur, servus
autem Iure Civitatis non gaudeant.

QUÆRES 3. An servorum matrimonia
sint valida insciis dominis contracta? Ratio dubi-
tandi est, quod servi insciis dominis prohibeantur
ordinari, aut si ordinati fuerint, deponi & restitui,
2. de serv. non ordin. quo non obstante. Respond.
eorum matrimonia jure nec prohibita, nec irrita esse
licet fiant dominis insciis aut etiam invitis *cap. 1. de
1.* Ratio est, quia matrimonium jure divino con-
cessum est homini in remedium concupiscentiæ,
ob bonum publicum, scilicet ad propagationem hu-
mani generis & evitanda scelera carnis, quod
illis à dominis auferri non potest, ad rationem
contrarium. Respond. Negando paritatem, quia
sacros ordines suscipiens pro toto tempore vite
Deo & Ecclesiæ mancipatur, adeoque servitiis do-
mino exhibendis perpetuò impeditur, non
contrahens matrimonium qui tam ante quam post
contractum ad obsequia domino præstanda perpe-
tuò obligatur.

TITULUS X.

De

Natis ex libero ventre.

QUÆRES 1. Quinam pro servis aut liberis
habendi sint? Respond. Pro hoc dignoscendum
sequitur

sequentes regulæ deservient. Qui nati sunt ex duobus parentibus, ingenuis, id est, iis qui nunquam in justâ servitute fuerunt, liberi sunt; similiter & illi qui parentes habuerunt, ex justâ servitute manumissos. Econtra servi sunt & libertate carent, quibus natura utrumque parentem justæ servituti obnoxium dedit. Quod si pater servus fuerit, mater autem libera, partus liber erit, in cujus favorem hoc est specialiter statutum, ut quo ad libertatem vel servitutem sequatur ventrem, id est matris conditionem; & hoc quidem triplici tempore, videlicet *nativitatis*, si enim dum mater pareret, libera esset, etiam partus libertate gaudet; *conceptionis*; sufficit enim prolem à matre liberâ conceptam, licet forsan tempore nativitatis in servitute fuerit; vel denique *tempore intermedio*, si nimirum mater tempore conceptionis serva fuisset postea manumissa tempore autem nativitatis in servitutem re incidisset; triplex hoc tempus partui pro consequendâ libertate prodest; quam materiam fusius in *Instit. tit. de ingenuis* deductam invenies.

QUÆRES 2. Quinam sint deterioris conditionis servi, an proprii, sive adscriptitii? Resp. Pejor in hoc puncto est conditio eorum quos ex communissimâ hodie praxi proprios sive *Leibeigne* vocamus, in iis enim quoad libertatem nec consideratur conceptio nec nativitas, nec tempus intermedium, sed si parentes sese proprietati alicujus domini territorialis subjecerint, non ipsi modò sed & eorum liberi antea nati in familiâ suâ adhuc constituti proprietati subjiciuntur, nec sine licentiâ sui, domini alibi domicilium figere possunt.

TITULVS XI.

De
Cognitione Spirituali.

QUÆRES 1. Quid sit cognatio spiritalis? Respond. Est propinquitās quæ personarum ex dispositione Ecclesiæ veniens, propter susceptionem & collationem baptismi, vel confirmationis, dicitur baptismi vel confirmationis; ex reliquis enim sacramentis impedi-
mentum hoc non oriri *cap. fin. h. t. in 6.* clare demonstratum est: Ratio autem cur ex his duobus tantummodo sacramentis, & non ex aliis impedimentum hoc oriatur, est analogia nativitatis spiritualis, quæ fit in his duobus sacramentis cum nativitate naturali: Sicut enim homo in utero materno primo nascitur debilis etiam est, donec vegetior factus robustior, omnibus membris perfectus edatur in lucem, ita similiter in gremio sanctæ Matris Ecclesiæ prius animatur per baptismum, quod est primum vivificans sacramentum deinde per confirmationem ita roboratur, ut per publicam fidei professionem quasi in lucem prodire, & occurrentia pericula apostasiæ labe vincere possit, in quo hoc sacramentum nativitati naturali affine est. Unde sicut impedimentum cognitionis naturalis ex nativitate nascitur ob reverentiam sanguinis, ita congruenter censuerunt Canones ad illius imitationem impedimentum cognitionis spiritualis ob reverentiam sacramentorum sacramentorum introducere.

QUÆRES 2. Inter quos impedimentum

cognitionis spiritualis contrahatur? Respond. Impedimentum hoc, cujus olim iure decretalium triplex erat species, videl. paternitas, compaternitas & fraternitas, hodie juxta dispositionem Concilii Tridenti sess. 24. c. 2. de reformat. matrim. ex baptismo contrahitur tantum à patrino, baptizato, ejusque patre ac matre, atque à baptizante, ultra quas personas impedimentum hoc non extenditur, quæ hoc versu comprehenduntur.

Tingens suscipiens, tinctus, tinctique parentes,

Sunt ex baptismo cognati spirituales.

Similiter in confirmatione cognatio spiritualis confirmantem, confirmatum, ejusque parentes & patrinum afficit nec ulterius procedit, quas personas versus sequens comprehendit.

Præsul, patrinus, confirmatique parentes,

Et confirmatus conjungi iure vetantur.

pro cujus meliori intellectu.

Nota primo: Impedimentum cognitionis spiritualis quantum ad baptismum oriri ex immediatâ susceptione ex baptismo, hinc si non patrinus sed obstetrix, ut ordinariè fieri solet, puerum ex manibus sacerdotis post collatum baptismum immediatè suscipiat, non patrinus sed obstetrix cognitionem contrahet.

Nota secundo: Si plures patrini fuerint, parochi officium erit, ex pluribus ad summum unum, & unam designare, qui infantem suscipiant, *Trid. loc. cit.* quod si is, nullos designarit, & omnes infantem immediatè susceperint, omnes cognati spirituales fient.

Nota tertio: Impedimentum hoc contrahi etiam à laico, privatim & in necessitate baptizante, non

Et s

tamen

tamen à parentibus si ipsi infantem in necessitate baptizâriat, ac ex sacro fonte susceperint, & ideò nec ab exigendo nec à reddendo debito impediuntur, quod intellige à parentibus matrimonio junctis contrarium enim de prole ex fornicatione susceptâ dicendum foret.

TITVLVS XII.

De

Cognitione legali.

QUÆRES 1. Quid sit cognatio legalis? Respond. Cognatio legalis sic dicta quia ortum duxit à legibus Civilibus per SS. Canones postea approbatis, est *propinquitās personarum poventiens ex adoptione.*

QUÆRES 2. Quid sit adoptio & quotuplex? Resp. Adoptio est actus legitimus per quem is qui filius vel nepos non est, in filium vel nepotem assumitur; & communiter dividitur in perfectam & imperfectam; perfecta quæ propriè arrogatio dicitur, est, quâ persona extranea, quæ sui juris est, rescripto Principis, transit in familiam & potestatem adoptantis, ita ut ipsius hæres necessarius fiat ex testamento, uti filius carnalis. imperfecta autem vel adoptio specifica est, qua filius familiæ in potestate patriæ constitutus ab aliquo alio in filium vel nepotem assumitur, quia transeat in ejus potestatem vel familiam, nec sit hæres necessarius ex testamento, licet succedat ab intestato, §. 1. & 2. *instit. de adopt. l. 10. Cod. eod.*

QUÆRES 3. Quæ sit inter dictas adoptiones differentia? Respond. Differentia inter utramque

te ba
eò ne
untur
s con
ptā di
ue adoptionis speciem olim nulla erat; hodie ve
o ex constitutione Justiniani, id observandum est,
filius adoptetur ab avo paterno vel materno, ple
o lure adoptatus transit in ejus potestatem & fa
illiam, & acquiritur jus suicitatis, quod si verò ab ex
aneo adoptatus fuerit, in familiam adoptantis non
transit, sed in potestate patris naturalis manet, &
oc solummodo emolumentum ex adoptione con
equitur, quod cum aliis liberis naturalibus patri
o intestato succedat §. 2. *Instit. § l. penult. Cod. h. t.* is
ntem qui sui juris est, si arrogetur, ipse, & bona
us, uti & liberi, si quos in potestate habuerit in
atriam arrogantis potestatem transeunt, taliter
quidem ut arrogatus non nisi causā cognitā eman
ipari, ne etiam exheredari possit, sub poenā reli
tionis quartæ partis omnium bonorum; quæ quar
a Divi Pii ab Antonino Pio hujus constitutionis
uctore, nominari solet.

QUÆRES 4. Qualiter cognatio legalis
matrimonio contrahendo obstat? Priusquam Re
pondeam sciendum est, ex adoptione triplicem
cognitionem oriri. prima est in lineā rectā inter
adoptantem & adoptatum, ejusque descendentes
juxta §. *non omnes instit. de nupt.* Secunda est in lineā
transversā quæ comprehendit filios seu liberos a
adoptantis. Tertia per modū affinitatis contrahitur
inter adoptatum & uxorem adoptantis, & vicissim
inter adoptantem & uxorem adoptati *l. adoptivus ff.*
de ritu nuptiar. his tribus cognitionis legalis specie
bus hoc commune est, quod matrimonium dirimant,
non quod leges civiles hanc dispositionem fecerint,
sed quod canones factam à legibus dispositionem
cap. un. b. t. approbarint, in hoc autem differunt,
quod

quod cognationis primæ species videlicet inter adoptantem & adoptatam, vel matrem adoptivam & filium adoptivum ejusque liberos in potestate existentes dirimat matrimonium in perpetuum; ita nec dissoluta adoptione validè inter se contrahere possint l. 85. de ritu nuptiar. quod & de tertia adoptionis specie tradunt cõmuniter Doctores; secundam autem videlicet in lineâ transversâ matrimonium quidem dirimat, quod tamen impedimentum soluta adoptione cessat, ex ratione quod ipsa natura velle videatur, ut ex persona quæ aliquando patris vel matris loco fuit, perpetuò veneranda & speciali reverentiâ copulam carnalem excludente colenda sit, non item ea quæ fratris vel sororis loco fuit, cessante ratione prædictâ. ex quo

COLLIGES primò. Licet stante adoptione adoptatus cum liberis naturalibus adoptantis matrimonium contrahere nequeat, potest tamen adoptione solutâ, si nimirum emancipatus vel ex patria potestate dimissus fuerit.

COLLIGES secundò. Impedimentum cognationis legalis intelligendum esse de filiis adoptantis naturalibus & legitimis, non vero de adoptivis, quia leges quibus hoc impedimentum introductum est, de naturalibus non de adoptivis loquuntur.

COLLIGES tertio. Hoc impedimentum, cum pro causâ habeat patriam potestatem ex arrogatione tantum oriri, non ex adoptione specificâ, cum per illam non per hanc adoptatus transeat in patriam potestatem adoptantis.

TITU.

TITULUS XIII.

De

De eo qui cognovit consanguineam
uxoris suæ vel sponsæ.

QUÆRES 1. Quale impedimentum *h.t.* occurrat declarandum? Respond. Explicari impedimentum proveniens ex affinitate *ortâ ex fornicatione vel incestu cum consanguineis sponsæ vel uxoris.*

QUÆRES 2. Quomodo talis affinitas illicita dirimat matrimonium? Respond. Distinguendo duos casus; Primus est quo maritus incestum committit, cum consanguineis uxoris suæ; licet enim hoc casu matrimonium antecederet contractum non dissolvatur, obstante matrimonii indissolubilitate perpetuâ duplex tamen exinde impedimentum oritur, unum impediens exactionem sive petitionem debiti Conjugalis, per textum *cap. si quis h.t.* etsi parti innocent., reddere teneatur. *cap. transmissæ h.t.* alterum quo tam ipse, mortuâ etiam uxore, quam uxoris suæ consanguinea carnaliter cognita à matrimonio cum quacunque persona impeditur, idque propter injuriam quam matrimonio irrogant. Si tamen vir matrimonium cum alia persona contraxerit contra hujus canonis prohibitionem; illud validum erit, quia tali incestuoso matrimonio quidem interdicitur, non tamen contractum irritatur. *Sancti l. 7. de matrim. disp. 15. n. 1.* quod idem de uxore, si cum consanguineis mariti incestum commiserit, eadem ratione statuendum erit; ad hoc an-

tem

autem ut tale impedimentum contrahatur, requiritur ut incestus voluntarie factus sit, vis enim uxuri illata obstat, quo minus illa à matrimonio contrahendo arceri possit. Secundus casus est quo sponsus fornicatur cum consanguinea sponsæ in primo vel secundo gradu; tunc enim dissolvuntur sponsalia de futuro propter ortam ex tali copulâ affinitatem quæ dirimit matrimonium inter sponsum & sponsam contrahendum. Juxta *cap. veniens. 65 Tract. sess. 24. cap. 4. de reform. matrim.*

QUÆRES 3. An etiam incestus cum propria consanguinea impediat matrimonium cum alia contrahendum? *Respon.* Cum Sanchez, lib. 7. *disput. 15. num. 16.* negative; Ratio est quod jura allegata loquantur tantummodo de incestu cum affine, & ideò quod pœnalia sint, extendi non debent ad incestum cum propria Consanguineâ commissum.

OBJICIES. 1. *Can. si quis viduam. c. 32. q. 7.* Matrimonium incestuosus simpliciter interdicitur; ergo etiam propter incestum cum propria consanguinea, oriatur hoc impedimentum. *Respond. N.* conseq. quia *can. citatus* prohibet conjugium tantum inter ipsos incestuosos non inter alios, uti ex *can. de incestis caus. 35. q. 3.* patet.

OBJICIES 2. *Can. fin. caus. 32. q. 8.* Incestuosi arcentur à matrimonio quomodocunque contrahendo; ergo incestus cum consanguinea propria inducit hoc impedimentum. *Respond. Neg.* conseq. ideo enim *loc. cit.* incestuosus matrimonium interdicitur quod monitione contemptâ in incestu contumaciter perseverarint.

QUÆRES 4. Quid requiratur ut prædictis pœnis sit locus? *Respond.* Requiritur, ut in-

cestus per copulam carnalem ad generationem ex
se aptam & consummatam perfectus sit, per textum
canon. *extraordinaria. caus. 35. q. 2. § 3. iuncta glossa*,
verbo impedire; & ut sit admissus scienter.

QUÆRES 5. An dictæ constitutiones ho-
diedum adhuc obtineant? Respond. Etsi pri-
vatio juris exigendi debitum à conjugē, & impedi-
mentum dirimens quod à sponso cum sponsæ con-
sanguineâ contrahi diximus, hodierno etiam usu
recepta sint, pœnatamen quæ incestuosos in per-
petuum à Conjugio repellit probabilius consuetu-
dine sublata est. *Sanch. l. 7. disp. 17. num. 8.*

TITVLVS XIV.

De

Consanguinitate & Affinitate.

QUÆRES 1. Quid sit Consanguinitas? Re-
spond. Consanguinitas à sanguinis unitate
dicta, est *vinculum vel propinquitas personarum,*
ab eodem stipite vel genitore propinquo per carnalem pro-
pagationem descendantium. Dicitur ab eodem stipite pro-
pinquo, quia si sufficeret descensus à stipite remoto,
omnes homines utpote unius Adæ posterī, consan-
guinei forent, quod non est utpote cum ad consan-
guinitatem requiratur unitas, & communicatio ejus-
dem sanguinis, idem autem Adami sanguis in tot
homines diffusus, non censeatur amplius moraliter
existere, ut hi in eodem communicare possint.

QUÆRES 2. Quænam in consanguinitate
in ordine ad scienda matrimonii impedimenta, ob-
servanda sint? Resp. in consanguinitate duo sunt
observanda, videlicet lineæ, & linearum gradus;
Lineæ

Linea est connexio personarum ab eodem stipite descendendum continens diversos gradus, & cognationes distinguens; gradus autem est distantia unius personæ ab altera. quâ cognoscitur, an & quânam personæ ex duobus vel pluribus consanguineis propior sit stipiti communi.

QUÆRES 3. Quotuplex sit linea? Respond. Linea est duplex, *recta* nimirum & *transversa*. Linea *recta* continet illas personas tantum, quæ vel mediata vel immediate sunt genitores & genitæ, scilicet patrem avum matrem, filium nepotem & sic usque in infinitum ascendentes & descendentes, quæ lineæ in quantum genitores continet, *ascendens* dicitur, quatenus autem genitos comprehendit *descendens* vocatur; in lineâ *ascendente* continentur, pater, mater, avus, avia, proavus, proavia, abavus, abavia, atavus, atavia, tritavus, tritavia, reliqui ultra hos in lineâ ascendente positi generali vocabulo majores appellantur. In lineâ *descendente*, sunt filius filia; nepos neptis, pronepos proneptis, abnepos abneptis, atnepos atneptis, trinepos trineptis, reliqui qui sunt infra hos posterii dicuntur. Linea *transversa* vel *collateralis* continet Consanguineos, qui etsi omnes ab uno communi stipite proveniant, nullus tamen ab altero procedit, sed genitus est: tales sunt *fratres & sorores, patrueli & consobrini*.

QUÆRES 4. Quotuplex sit linea transversa? Respond. Est duplex, *æqualis* & *inequalis*; *æqualis* linea est, quando consanguinei ab uno stipite æquali graduum numero distant. v. gr. duo fratres quorum uterque *duobus* gradibus à stipite est remotus: *inequalis* est, quando nimirum consanguinei à

communi stipite inæquali numero graduum distant;
v.gr. frater & fratris filius, quorum ille uno iste au-
tem duobus gradibus distat à stipite communi.

QUÆRES 5. Qualiter in praxi schema
consanguinitatis facile formari possit? Respond.
Pro formando schemate Consanguinitatis, & com-
putandis gradibus, ut sciatur quantum una persona
distet ab alterâ, à Canonistis tres regulæ statuuntur.
Prima pro lineâ rectâ, reliquæ duæ pro transversâ.
Regula prima est. In lineâ rectâ tot sunt gradus quot
sunt generationes, sive tot sunt gradus, quot sunt perso-
ne stipite dempro; sic pater & filius sunt in primo gra-
du, quia inter ipsos intercedit tantum una generatio,
avus & nepos sunt in secundo gradu, quia duæ in-
tercedunt generationes. Ratio Regulæ est quia
totum Consanguinitatis fundamentum est carnalis
propagatio, seu generatio; quotiescunque igitur
intervenit nova generatio, exurgit nova quædam
habitus seu relatio in consanguinitate, quæ nihil
aliud est quam novus gradus, quæ regula in utroq;
jure locum habet. Altera regula pro lineâ trans-
versâ æquali est hæc; quoto gradu uterque consangu-
ineorum distat à stipite, toto distant inter se, sic duo fratres
sunt conjuncti in primo gradu, quia uterque uno
gradu distat à stipite, qui & utriusque parens; duo
consobrini conjuncti sunt in secundo gradu, quia
uterque duobus gradibus à communi stipite, videli-
cet ab avo suo distat & sic de reliquis loquendo. *can.*
ad sedem & can. parentela. c. 35. q. 5. Ratio regulæ est
quia consanguinei eatenus conjuncti sunt, quate-
nus uniuntur in eodẽ stipite; Ergo à se invicem non

F f

magis

magis aut minus distare debent quàm ab ipso stipite. *Tertia Regula* servit pro linea transversâ inæquali; & est talis: quoto gradu remotior distat à stipite, toto distant inter se; Sic frater & fratris filius, in secundo gradu conjuncti sunt, quia fratris filius duobus gradibus à stipite cōmuni videlicet avo suo distat; Ratio hujus regulæ eadem est, quæ prioris; cum enim tota ratio conjunctionis sit unio in stipite, non possunt inter se esse conjunctiores quàm sint ipsi stipiti; atque si ratio proximioris gradûs habenda esset, & non remotioris, tunc remotior esset proximior consanguineo suo in lineâ transversâ quàm ipsi stipiti, quod rationabiliter dici non potest.

QUÆRES 6. An quoad computationem graduum, inter jus Canonicum & Civile sit aliqua differentia? Resp. Differentia inter jus Canonicum & Civile, quantum ad graduum computationem in lineâ rectâ, nulla est, in lineâ autem transversâ æquali & inæquali est hæc; quod non attendita Regula Canonica superius tradita computentur gradus secundum numerum personarum per novam generationem accedentium, sicut in lineâ rectâ, ita ut tot sint gradus quot sunt personæ stipite dempto; & hoc jure fratres non sunt in primo sed secundo gradu; nepos ex fratre, patruo suo est in tertio gradu, quia hæc conjunctio constituitur tribus personis scil. patruo, ejus fratre, & fratris filio, avo, qui est stipes, sublato. Ex quo patet ratio, cur hoc jure non fiat distinctio lineæ æqualis & inæqualis; cum enim singulæ personæ adsciant novum gradum non est opus utriusque distantiam à stipite seorsim considerare, sed sufficit si sciatur quoto gradu uterque simul

simul sumptus à stipite distet, sive quod idem est, sufficit scire, quot intervenerint generationes. aliter res se habet de Iure Canonico, quo non singulæ personæ seorsim sed duæ simul unum gradum constituunt, inter quas cum una longius distare possit à stipite quàm altera, non constituendo novum, sed manendo intra eundem gradum, servire non poterat regula quod tantum distent inter se, quantum uterque distaret à stipite, sed alia adhiberi debebat; quæ necessitas SS. Canones coegit, lineam transversam in æqualem & inæqualem bipartire: Ratio autem differentiæ inter utrumque jus est ista, quod Ius Civile computet gradus in ordine ad tutelas & successiones hæreditarias, in quibus locum habet regula *proximior gradu potior jure*. Jus autem Canonicum consideret conjunctionem personarum in ordine ad contractum matrimoniale, qui cum necessario debeat esse inter duos, hinc gradus hoc jure considerantur non absolute sed respectivè, sive cum relatione ad aliam personam, in qua ponitur impedimentum matrimonii, ex quo fit ut duæ personæ non nisi unum gradum constituent.

QUÆRES 7. Qualiter consanguinitas matrimonium dirimat? Respond. Pro dignoscendo duplex tibi serviet decisio.

Decisio prima, matrimonium in linea rectâ est prohibitum in infinitum, ita ut si Adam ad vitam rediret, non reperiret, quacum matrimonium contraheret; quæ est sententia communis DD. contra Sanchez. & paucos alios. Probatio desumitur ex Iure Civili. §. *Ergo non omnes Inst. de nupt. l. 53. & fin ff. de ritu nupt.* ubi matrimonium inter ascendentes & descendentes disertè prohibetur usque in infinitum; quæ Ju-

ris Civilis dispositio cum in Jure Naturali fundetur, non tantum non reperitur correctâ, sed potius tacite & etiam expresse à Nicolao I. ad consulta Bulgavorum cap. 39. est approbata, cum *cit. cap.* Pontifex consultus respondeat, impedimentum consanguinitatis in lineâ rectâ extendi in infinitum, confirmatur id ex *cap. fin. h. t.* ubi dicitur matrimonium contrahi posse à consanguineis lineæ transversæ in quinto gradu, ergo non malè infertur id à consanguineis lineæ rectæ in tali gradu contrahi non posse.

Dices; Impedimentum Consanguinitatis olim extendebatur ad septimum gradum inclusive, nunc autem per *cap. non debet.* ad quartum tantum gradum restrictum est, nec fit in istâ restrictione distinctio inter lineam rectam & transversam; Ergo nec nos distinguere debemus. Respond. *Cap. cit.* loquitur tantum de Consanguineis lineæ transversæ, quia de restrictione impedimenti consanguinitatis non absolute, sed quoad consanguineos lineæ transversæ tantum agebatur in Concilio Lateranensi ibi relato, ut patet ex actis Concilii, & ex contextu, capituli. *Fagn. hic num. 31.* adeoque ejus dispositio ad Consanguineos lineæ rectæ non est extendenda.

Decisio secunda, Matrimonium in lineâ transversa est prohibitum usque ad quartum gradum inclusive, sive æquali, sive inæquali *cap. fin. h. t.* secundum regulam superius assignatam quod quoto gradu remotior distat à stipite, toto distent inter se; quæ est regula generalis canonica, licet Camera Romana aliam tradat regulam, secundum quam non remotioris tantum sed & proximioris consanguini-

nei est habenda ratio, ita ut hodie frater & fratris filius non amplius sint in secundo gradu, sed in secundo attingente primum, quam regulam Romanam curia in concedendis dispensationibus hodie strictissimè observare solet.

QUÆRES 8. Quid sit Affinitas? Resp.

Affinitas est propinquitas personarum, ex copulâ carnali cum cognatâ alterius habitâ proveniens. Ejus fundamentum est ratio sanguinis; Cum enim vir & mulier per copulam carnalem perfectam fiant una caro juxta illud *Matth. 5. erunt duo in carne unâ* consanguinei unius ad fines quasi alterius accedunt *l. non facile ff. de grad. affinit.* ideoque illius affines vocantur.

QUÆRES 9. Quid requiratur ut contrahatur affinitas? Respond. Requiritur copula perfecta; sive licita fuerit sive illicita, nec sufficit matrimonium ratum tantum; Ex hoc enim publica honestas oritur, non affinitas, quæ tamen honestas publica etiam post Trident ad quartum gradum inclusive extenditur; cum *Trid. sess. 24. c. 3. de reform. matrim* loquatur tantum de impedimento publicæ honestatis nato ex sponsalibus, adeoque constitutio illa juris antiqui, quoad publicam honestatem ex matrimonio rato ortam in suo vigore manet, nec correctâ dicetur.

QUÆRES 10. Qualiter computentur gradus affinitatis? Respond. Gradus affinitatis non aliter computantur, atque gradus consanguinitatis & ad cognoscendam eorum distantiam unica servit regula quæ dicit, in eo gradu aliquem esse affinem uxoris, in quo est consanguineus mariti, & vicissim in eo gradu esse aliquem affinem mariti, in quo est consanguineus uxoris. Ratio

ff 3

hujus

hujus regulæ est, quia totum fundamentum affinitatis est ratio sanguinis, quo sicuti cognati mulieris, ipsi mulieri conjuncti sunt, ita etiam marito, qui una cum muliere caro effectus est, conjunguntur. Ergo marito nec plus nec minus possunt conjungi ut affini, quam conjuncti sint foeminae ut consanguineæ; Ergo utrinque servanda est eadem graduum computatio dicitur marito, qui una caro cum muliere effectus est; quia hæc identitas carnis per commixtionem corporum, qua unus alterius sanguinem cum suo confundit, & hoc sensu participat; est tota ratio affinitatis: ex quo colligitur, cur consanguinei uxoris fiant affines marito tantum & vicissim, ipsi vero consanguinei inter se affines non fiant cap. 5. h. t. quia sola mulier per commixtionem participat sanguinem sui mariti, qui est idem cum sanguine suorum consanguineorum, hinc sola mulier fit affinis; quem sanguinem cum non participant consanguinei ipsius, etiam non est ratio eos cum consanguineis mariti connectendi; quod idem de consanguineis uxoris respectu mariti dicendum.

QUÆRES II Qualiter affinitas matrimonium dirimat? Respond. Ex affinitate oritur impedimentum dirimens matrimonii; quod olim quidem ad septimum usque gradum non aliter ac Consanguinitas extendebatur, *con nullum caus. 35. q. 3.* hodie tamen affinitas orta ex copulâ conjugali quartum gradum non excedit; ideoque affines in quinto & reliquis gradibus valide & licite conjunguntur, quæ vero ex copulâ illicitâ oritur, matrimonium usque ad secundum solummodò gradum inclusive dirimit. *Trid. sess. 24. cap. 4. de reform. matrim.*

QUÆ.

QUÆRES 12. An & qualiter matrimoni-
um à consanguineis vel affinibus contractum irri-
tetur? Respond. Matrimonium in gradu consan-
guinitatis vel affinitatis prohibito contractum, est
ipso jure nullum; intellige nisi cum contrahentibus
fuerit dispensatum.

QUÆRES 13. Quænam ad validam dis-
pensationem requirantur? Respond. Duo requi-
runtur, potestas in dispensante, & causa legitima
ex parte impetrantis. Potestas residet penes eum,
qui legem tulit, ac propterea in iis, quæ juris natu-
ralis sunt vel divini, nec ipse Pontifex dispensare po-
test, in iis autem quæ sunt juris positivi canonici di-
spensat solus Pontifex, & in duobus casibus Episco-
pus. Primus casus est, quando vel expressè vel tacitè
Episcopo conceditur facultas dispensandi; Secun-
dus casus est, quando ex casu Papali fit Episcopalis,
quod tum fit quando Pontifex adiri nequit, sive ob
paupertatem supplicantium, sive ob aliud justum
impedimentum, ut communiter tradunt Doctores.
Quæ autem sit causa justa arbitrio dispensantis re-
linquitur, ex generali regulâ, quod ea quæ in jure
determinata non sunt, arbitrio judicis relinquan-
tur; & hinc si causa allegata falsa fuerit, etiam
gratia impetrata nulla erit.

His observatis Arborem sive schema tam consan-
guinitatis quàm affinitatis facillè formabis; Ejus-
que Exemplar in obviis auctoribus pas-
sim reperies.



TITULUS XV.

De.

Frigidis maleficiatis & Impotentia coeundi.

QUÆRES 1. An & cur impotentia dirimat matrimonium? Respond. Quamvis ex *l. nuptias ff. de Reg. Iur.* notum sit quod matrimonium consensus faciat non concubitus; tamen cum finis matrimonii duplex sit, remedium concupiscentiæ & generatio prolis, adeoque contrahentes sibi mutuò tradere debeant corpus in ordine ad actus conjugales, ideo inter eos, quorum alterius corpus ad tales actus aptum non est, irritum est propter impotentiam *h.t.* explicandam.

QUÆRES 2. Quoruplex sit impotentia? Resp. Impotentia alia est ad generationem, quando scilicet ex copulâ etiam perfectâ ob seminis licet veri infœcunditatem, senium personæ, vel naturæ frigiditatem aut aliundè provenientem sterilitatem sequi non potest generatio proli; alia autem est ad copulam, dum videlicet vir cum muliere coire, aut copulam habere non potest. Alia item perpetua est, quæ sine miraculo, vitæ periculo aut gravi peccato tolli nequit; alia temporalis tantum, quæ absque miraculo, arte medica, vel mediis licitis auferri potest & curari; alia denique absoluta est quæ est respectu omnium alterius sexûs personarum ita ut cum nulla coire queat; alia respectiva, quæ est tantum respectu unius aut alterius personæ.

QÆRES

QUÆRES 3. Quænam ex his impotentia
speciebus matrimonium dirimat? Respond. Ea
sola, quæ perpetua est, ex quacunque demum
causa proveniat, cum adversetur fini matrimonii;
respectiva autem, & temporalis matrimonium non
impediunt, uti nec impotentia ad solam generatio-
nem, quod de parentibus S. Joannis & aliis sterili-
bus pater, cum enim hi ad copulam potentes sint,
à matrimonio arceri non debent; unde lex Julia
viros sexagenarios & foeminas quinquagenarias à
conjugiis repellens, non tantum iudicio Ecclesiæ,
sed & imperatoriâ auctoritate sublata est. *l. sancitum*
Cod. de nupt. quæ sexibus, cujuscunque ætatis sint,
matrimonium permittit, iis solummodò exclusis,
qui ad actum conjugalem penitus & perpetuò sunt
inhabiles.

Dices primò, Finis matrimonii est generatio
prolis; atqui iste cessat in sterilibus & infœcundis,
Ergò & matrimonium. Respond. Finis iste cessat
per accidens, non per se;

Dices Secundò, Si infœcundis & senibus permis-
sum sit ad vota transire, idem Eunuchis, utroque
testiculo carentibus permissum erit. Respond N.
Sequelam senes enim & infœcundi emittunt ve um
semen, licet ob senium aut aliam causam ad gene-
rationem prolis ineptum, Eunuchi autem ob im-
possibilitatem seminationis impotentes sunt ad co-
pulam perfectam, adeoque ad matrimonia non
admittendi videantur Litteræ Sixti. V. expedi-
tæ in forma Brevis ad Episcopum Novar. 27.
Junii 1587. quæ incipiunt. *Cum frequenter.*

QVÆRES 4. An & impotentia superve-
niens

Ff 5

niens matrimonium dirimat? Respond. Negat. Sed ante contractum matrimonium existens; Cuius probatio si statim haberi possit, matrimonium mox irritum declarari debet; quod si probatio parata ad manum non sit observari debebit dispositio *cap. 5. 6. 7. h. t.*

TITVLVS XVI.

De

Matrimonio Contracto contra interdictum Ecclesiæ.

QUÆRES. Quænam sint impedimenta matrimonii impediencia tantum? Respond. plura olim fuisse hodie autem quinque potissimum in usu esse hoc versu comprehensa

Interdictio, dies, crimen, sponsalia, votum.

Primum igitur impedimentum est interdictum Ecclesiæ, si nimirum à Iudice Ecclesiastico puta Pontifice, Episcopo vel etiam parocho ex iustâ causâ matrimonium ad tempus prohibeatur; qualis causa erit suspicio latentis impedimenti, vel non vanus timor gravium rixarum inter parentes, & metus scandali. *Secundum* est dies, id est, tempus feriarum, quo nuptiarum solemnitates prohibentur à jure, cujusmodi tempus ab adventu usque ad diem Epiphaniæ, & à feria quartâ cinerum usque ad octavam paschatis inclusivè. *Tertium*, est crimen, quod est septuplex. 1. Incestus sive concubitus cum consanguineis uxoris suæ, olim in quarto, hodie factâ à Tridentino affinitatis illegitimæ restrictione, in secundo gradu. *cap. 1. de eo qui cognovit consang. uxor.* 2. Raptus sponsæ alterius *can. statutum c. 37. quæst. 2.* 3. Uxo-

3. Uxoricideum seu occisio uxoris propriæ. *can. interfectores cau. 33. q. 2.* intellige si fiat sine fide data aut animo ad alia vota transeundi, sic enim esset impedimentum dirimens, ut supra tit. 7. dictum.
4. Levatio proprii filii ex baptismo, eo fine facta ut conjux priyetur debito conjugali ob contractam exinde cognationem spirituales *can. de eo. caus. 30. q. 1.* qui desumptus est ex Concilio Moguntino. 1. Acceptio Monialis in uxorem *can. si ergo caus. 27. q. 1.*
6. Occisio sacerdotis *cap. 2. de pœnit. & remiss.* quorum ratio est, quod hæc sint delicta specialiter peccantia in leges matrimonii, utpote impedientia vel ejus contractum, ut raptus sponsæ vel liberum exercitium Juris Conjugalis, ut incestus & susceptio proprii filii; vel amicitiam huic sacramento specialem, ut uxoricideum; vel violentia matrimonium spirituale Christi, ut acceptio Monialis, vel denique peccant in eum ordinem sine quo matrimonium contrahi non potest, ut est occisio Sacerdotis.
7. Pœnitentia solemnns quàm diu durat. *can. de his caus. 33. quest. 2.* cum taliter pœnitentes luctus deceat ob crimina sua, non lætitia nuptialis. Orta tamen ex his criminibus impedimenta probabilius in desuetudinem abierunt. *Santb. lib. 7. disp. 17. numer. 8.* Quartum impedimentum impediens sunt sponsalia cum una persona contracta, impediunt enim, quò minus matrimonium cum alia contrahi possit, sponsa priore invita. Quintum denique est votum simplex castitatis.



TITULUS XVII.

Qui filii sint legitimi.

QUÆRES I. Quotuplices sint liberi? Resp. In duplici eos differentiâ collocari, vel enim sunt legitimi, vel illegitimi; illegitimi vel sunt naturales tantum, ii nimirum qui ex soluto & soluta, inter quos tempore conceptionis, nativitatis, vel etiam tempore intermedio matrimonium consistere potuit, nati sunt, quales proprie sunt qui ex concubina seu uni soli propria generantur, qui enim ex scorto nascuntur, maneres, dicuntur. vel sunt naturalium nomine indigni, quales sunt ii, inter quorum parentes dictis temporibus non poterat subsistere matrimonium, velut spurii sive ex damnato id est adulterino, nefario id est inter as. & descendentes, vel incestuoso coitu inter collaterales & affines procreati, quorum omnium hæc est misera conditio, quod ad SS. Ordines, nec ad dignitates nec ad hæreditates paternas admittantur, hoc unicum à SS. Canonibus solatium consecuti, quod mitigato per Canones legum civilium rigore, nati ex damnato coitu alimenta recipiant, quæ per *Novell 89* Ejusque caput ultimum negabantur.

Legitimi vel nascuntur, vel fiunt. nascuntur, qui ex matrimonio verè vel putativè justo concipiuntur, matrimonium verè justum dicitur, cui non subest impedimentum dirimens. *cap. 9. h. t.* præsumptivè vel putativè justum est, cui quidem impedimentum subest, ab ipsis tamen contrahentibus aut saltem ab uno eorum bonâ fide ignoratum, ex quo suscepta

cepta proles censetur legitima, licet ex post facto detecto errore, matrimonium forsitan separaretur. c. 2. § 14. b. t. Fiunt legitimi tribus modis. Primo, per subsequens matrimonium inter parentes etiam in articulo mortis contractum cap. 6. b. t. Secundo, per rescriptum Papæ. c. 13. b. t. Tertio, per ingressum religionis. Olim quidem etiam per oblationem Curie legitimabantur filii; iste autem legitimandi modus hodie exolevit.

QUÆRES 2. Quæ sit differentia inter dictos legitimandi modos? Respond. Est differentia duplex? 1. Quod per matrimonium non legitimantur nisi naturales tantum, per rescriptum vero Papæ & ingressum religionis omnes quocunque modo geniti. hinc filius ex adulterio susceptus ille legitimus manet, licet ex post facto inter adulterum & adulteram matrimonium contrahatur. dict. cap. 6. 2. Quod legitimati per matrimonium in omnibus æquiparentur legitimè natis; qui verò duobus postremis modis legitimantur, ad beneficia quidem, non tamen ad dignitates admittuntur, nisi id specialiter fuerit concessum, cum semper inhæreat saltem adhuc aliqua originis macula, & nota infamiae, quæ dignitatibus obstat. Quemadmodum autem Papa in ordine ad beneficia & alios effectus ecclesiasticos, ita & imperator in ordine ad effectus civiles v. gr. successiones legitimat, quorum notitiam scire volenti dabit novella 89. per totum. § Novell. 117. cap. 20.



TITU.

TITVLVS XVIII.

Qui matrimonium accusare possint
vel contra illud testificari.

QUÆRES I. An matrimonium quandoque possit dissolvi aut separari, & qualiter sit facienda separatio? Resp. Matrimonium legitimè contractum tam est indissolubile, ut ex nulla unquam causa quoad vinculum separari possit, prout contra vana Lutheri & aliorum hæreticorum somnia, Catholica fides ex ipsis Scripturæ verbis apertè demonstrat *Matth. 19 2. Marc. 10. 1. Cor. 7. 10.* quòd si verò illegitimè contractum fuerit, iudicis Ecclesiastici officium requirit, illud separare, ut sic peccata evitentur, & animarum salutì consulatur. qua in re cum gravissimum versetur præjudicium, & maximum animarum periculum, timendumque sit, ne ex sinistra Iudicis informatione, matrimonium justè contractum separetur, vel injustum ac nullum confirmetur, proindeque maximâ circumspectione opus sit, atque prudentiâ singulari, ideò ne committatur error, eam placuit SS. Canonibus facere dispositionem, ut nec omnes promiscuè ad accusandum matrimonium admitterentur, nec etiam singuli excluderentur, ne veritas vel falsâ malevolorum suggestionem, vel nimia taciturnitate maneret occulta.

QUÆRES 2. Quid sit matrimonium accusare, & quænam ad hanc accusationem requirantur? Respond. Accusare matrimonium est ejus nullitatem coram Iudice competente

petente probare, dixi coram *Judice competente*; quia separatio ab ipsis conjugibus, etiam casu quo impedimentum subest, privata auctoritate, fieri non potest, *cap. 3. de divort.* in accusatione instituenda tria potissimum, veniunt considerata. *Primo* causæ ob quas matrimonium accusatur. *Secundo*, personæ accusantes, & testes; *Tertio*, Forma in accusatione observanda. Causæ sunt triplicis generis, vel enim sunt tales, ob quas conjuges se invicem tenentur deserere, velut votum solemne, consanguinitas, &c. vel tales sunt ut conjuges non teneantur se deserere, sed possint sibi cohabitare, in vitâ castâ ut est impotentia; vel denique sunt tales, quæ ab ipsis conjugibus remitti possunt, ut est adulterium ab uno conjugum admissum quod parti innocenti tribuit jus separationis à thoro & mensa, cui tamen juri, si voluerit cedere, poterit.

QUÆRES 3. Quinam matrimonium accusare possint? Respond. Si causæ tales fuerint, propter quas non necessario facienda sit separatio, soli conjuges ad accusandum matrimonium admittuntur, cum hi Juri suo renunciare possint; quod si verò causæ exigant separationem, quilibet accusare potest, hoc tamen servato ordine, ut primo loco admittantur parentes, & alii ascendentes; deinde proximi consanguinei collaterales & tum demum extranei, qui tamen non promiscuè admittendi, sed fide digniores minus fide dignis præferendi sunt, & rejiciendi suspecti, videlicet accusantes ob quæstum. *cap. 5. b. t.* scientes impedimentum tempore proclamationum, & non revelantes *cap. ult. b. t.* quod à potiori de testibus dicendum erit, quibus hac in re gravissima nequidem ab ipsis partibus juramentum

mentum remitti potest, quod autem contra rationem juris liberi ad accusandos parentes & vicissim in Causis matrimonialibus vel etiam ad testificandum admittantur, ratio est, quod hæc accusatio in favorem accusatorum introducta sit, non in odium. Forma accusationis hæc est, ut ad faciliorem veritatis indagationem, nec ab absente, nec in scriptis fiat, sed à personaliter constituto & comparente in iudicio *cap. 2. b. t.* in reliquis conveniunt cum aliis iudiciis, hæc solâ differentiâ observatâ, quod sententia injusta nunquam transeat in rem iudicatam, iusta autem per appellationem non suspendatur, idque propter religionem sacramenti & indissolubilitatem matrimonii.

TITVLVS XIX.

De

Divortiis.

QUÆRES 1. Quid sit divortium & quomplex? Respond. Divortium est matrimonii validè contracti separatio auctoritate iudicis facta; estque duplex una quoad vinculum, altera quoad cohabitationem sive thorum & mensam tantum; quoad vinculum fit divortium, quando matrimonium quoad substantiam & in perpetuum dissolvitur. quoad cohabitationem autem, quando salvo matrimonii vinculo, conjuges ex causâ legitimâ separantur. Divortium quoad vinculum tribus casibus conceditur. *Primo*, quando matrimonium est & declaratur nullum. *Secundo*, quando

unus Conjugum matrimonio nondum consummato ingreditur Religionem. Tertiò, quando unus infidelium ad fidem convertitur, altero in infidelitate manente, cui sine periculo perversionis cohabitare non possit, *cap. 8. h. t.* extra hos casus matrimonium non nisi solâ morte alterutrius conjugum dissolvitur. *Trid. sess. 24. c. 5. & 7. de reform. matr.* Non obstant verba Christi *Matth. 19. quicumque dimiserit uxorem suam nisi ex causâ fornicationis, & aliam duxerit* mæchatur, quibus verbis etiam ipsa fornicatio. videtur causa sufficiens matrimonium dissolvendi; non inquam obstant, quia exceptio *nisi ob fornicationem* referenda est ad verba antecedentia, scilicet uxoris dimissionem non ad sequentia, qualiter explicat S. Paulus *1. Corinth. 7.* & sic sensus est, quod propter fornicationem ab uxore commissam possit uxor dimitti, sed non hac dimissa alia duci.

QUÆRES 2. Quando conjuges quoad thorum & mensam divortiri possint? Respond. Divortium quoad thorum & mensam fieri potest, si adsit causa legitima. causa talis est delictum conjugum, quod est quadruplex: 1. Fornicatio carnalis, *c. 3. & 4. h. t.* Si fiat uno conjugum innocente & invito, si enim altero consentiente fiat, aut uterque fornicetur, non divortium cõceditur, cum sic delicta mutuâ compensatione tollantur *cap. 4. h. t.* nomine autem fornicationis hic intelligitur quivis concubitus seu copula cum altero habita, qua fornicantes una caro efficiuntur, unde in aliis delictis, in quibus non reperitur hæc unitas carnis, ut sunt oscula tactus vel copula attentata, ratio sufficiens faciendæ separationis non invenitur, ut pul-

Gg

chrè

chrè tradit *Sanch. lib. 10. disp. 4.* intelligendum
est, nisi injuria parti nocenti ab innocente conde-
netur; quod sit vel expressè per verba, vel tac-
ipso facto, si nimirum innocens cum nocente con-
lam habeat, cum hoc facto declaret, se à jure suo dis-
sistere, & Conjugem in antiquam amicitiam re-
mere. 2. Fornicatio spiritualis, sive apostasia
fide, si nimirum sine periculo perversionis aposto-
tæ cohabitari nequeat. Animæ enim securitas obli-
gationi cohabitationis prævalere debet. 3. Indu-
ctio ad peccatum mortale, ex ratione modo dicta
4. Sævities, nisi vir præstet sufficientem cautio-
nem securitatis; quod si de securitate dubitetur
mulier in loco tertio usque ad litis decisionem custo-
dienda erit. *c. 3. § 13. de reslit. spol.*

TITULUS XX.

De

Donationibus inter virum & uxorem
& dote post divortium
restituendâ.

QUÆRES 1. Quid sit dos, & quotuplex? Re-
spond. Dos est *pecunia vel alia res pretio æstimabilis, quam uxor viro pro sustinendis matrimonii oneribus affert.* Alia est *profectitia*, quæ à patre uxoris proficiscitur, alia *adventitia*, quæ aliunde advenit; alia est *æstimata*, quæ consistit vel in paratâ pecuniâ, vel in alia re mobili certo pretio taxata; cujus usus in consum

consumptione conficit, ac proinde maritus ejusdem dotis pleno jure fit dominus. *l. 5. Cod. de Jure dotium.* Alia inæstimata, quæ est res immobilis, certo pretio non æstimata; cujus usus in annuâ fructuum perceptione consistit, salvâ semper rei substantiâ, ac proinde mulier hujus dotis manet domina naturalis, dominio civili quod in usufructu & actionibus consistit, ad maritum transeunte. qua de causâ prædium dotale alienari nequit.

QUÆRES 2. Quid sit contrados sive donatio propter nuptias, & quænam circa eam observanda? Respond. Contrados, sive donatio propter nuptias est, quæ ad compensandam dotem à marito offertur uxori, & regulariter solet esse æqualis doti. *authent. dos data, eod. de donat. prop. nupt.* qua in re consuetudo potius consideranda erit, quam jus scriptum; hæc donatio propter nuptias, quæ datur in securitatem dotis, hoc operatur, quod mulier habeat tacitam hypothecam in omnibus bonis mariti, vi cujus omnibus aliis creditoribus præfertur *l. 30. Cod. de jure dotium.* in hoc autem discrepant Canones à legibus, quod de jure civili, si vir incipiat labi facultatibus, stante etiam matrimonio dos repeti possit, actione ex stipulatu pro dote *l. un. Cod. de rei uxori, ad.* de jure autem Canonico sufficiat si vir qualemcunque potest, cautionem præstet; dos enim ob paupertatem non repetitur, sed aliter impenditur, ut annuam adferat utilitatem *c. 7. h. t.* turpe enim censent canones, ut uxor quæ corpus suum marito tradidit, dotem non credat.

QUÆRES 3. Quid juris circa dotem in matrem?

Gg 2

matri,

rimonio per divortium soluto? Respond. *Si*
distinctione; vel matrimonium solvitur quoad
 culum, vel quoad thorum & mensam tantum;
 quoad vinculum, subdistinguendum erit; vel enim
 bonâ fide contractum fuit, vel cum scientiâ impedi-
 menti; si bonâ fide, dos redit ad dotantem *cap. 1. b. t.*
 Si malâ fide, dotem sibi vindicat fiscus *l. 2. nec*
Cod. de incest. & inut. nupt. & cap. 5. b. t. Si fiat separa-
 tio quoad thorum & mensam, interest an uxor di-
 vortio causam dederit, nec non; si causam dederit,
 dotem perdit marito assignandam, *cap. 4. b. t.* si sine
 ejus culpâ divortium contingit, dotem recipit.

QUÆRES 4. A quo, facto divortio, alen-
 di sint liberi, an ab uxore an à marito? Respond.
 Vel fit divortium culpâ conjugum, vel sine culpâ;
 si culpâ conjugum, indagandum, an unius tantum,
 an utriusque delicto? Si culpâ utriusque, filius
 triennio minor à matre, triennio major à patre
 educandus erit; si culpâ unius liberi apud partem
 innocentem, expensis tamen nocentis alendi erunt.
authent. si pater Cod. divortio facto. Quod si sine utri-
 usque culpâ, communibus expensis filii sustentandi
 erunt. *cap. 2. qui filii sint legit.*

QUÆRES 5. An & qualiter permissæ sint
 donationes inter conjuges? Respond. Regula ge-
 neralis est, infirmam esse inter conjuges donatio-
 nem, quæ simpliciter & ex merâ liberalitate fit, &
 donantem pauperiorem, accipientem verò efficit
 locupletiores. *cap. fin. b. t. & l. 1. ff. eodem.* ubi ra-
 tio redditur, ne conjuges mutuo amore se invicem
 spolient, & concordia conjugalis pretio venalis
 erit.

esse videatur: censetur autem fieri pauperior, quando diminuitur ejus patrimonium ante habitum, non, si non acquirat, quod tamen acquirere posset. Hinc in gratiam uxoris validè repudiat legatum vel hæreditatem, cum sic non minuatur ejus patrimonium, nec donans pauperior evadat.

TITULUS XXI

De

Secundis Nuptiis.

QUÆRES 1. Quid sint secundæ nuptiæ? Respond. Nomine secundarum nuptiarum hoc loco intelligimus omnes illas, quæ post primas morte vel aliter solutas, contrahuntur, siue secundæ fuerint, siue tertiæ vel etiam ulteriores; nuptias enim quotiescunque iteratas Christianis permissas esse, Apostolico probatur elogio, *1. Tim. 5. & 1. Cor. 7.*

QUÆRES 2. Quid requiratur ad secundas nuptias validè & licitè contrahendas? Respond. Duo requiruntur, unum de jure civili, ut observetur annus luctus, quo non observato transiens ad secunda vota pro infami habetur; quod non procedit de Jure Canonico; alterum ut constet prius matrimonium esse verè solutum, & de ejus dissolutione habeatur certitudo; quàm diu enim dubium est de alterius Conjugis morte, matrimonio abstinendum erit, quod si stante tali dubio contractum fuerit, se-

G g 3

para-

parari non debet. cap. 2. b.t. dixi requiri certitudinem intellige moralem, qualis etiam per unius testis elogium haberi potest.

QUÆRES 3. Quæ inter primas & secundas nuptias differentia? Respond. Inter primas & secundas nuptias de Jure Canonico non est differentia nisi quòd secundæ non benedicantur, ut primæ, Jus autem Civile plures statuit differentias, & diversos assignat effectus, qui cum ad forum nostrum non pertineant, operæ pretium non iudico iis multum immorari.

Finis Libri Quarti.



LIBER